



**S**isebutus magna prudentia, fortitudine, & pieta  
ste septuagesimus quartus Gothorum rex extra  
patriā, adeoq; in ipsa Hispania elīgitur. Is in primis  
eo respexit, ut Christianorum religionem confirma  
ret, & aduersarios confunderet. Itaq; ad piam eius  
exhortationem nonaginta Iudeorum millia Bapti  
smum suscepereūt. Vnde etiam Sisebutus in Decre  
talib. tit. de Baptismo, religiosissimus princeps ap  
pellatus fuit. Inde Acephalorum hæresim extinxit,  
& Isidoro præfule Hispalēse monitore, Concilium  
celebrauit. In eo Sisebutus interfuit, atq; differen  
tes de uera fide audiuit. Erat enim in diuinis & hu  
manis literis instructissimus, & magna clementia  
cōspicuus. Itaq; hæreticis erroris conuictis pepercit atq; in Ecclesiam recipi  
re iussit. Ut autem in religione, ita & in Politia administranda erat sagacissi  
mus. Sæpe enim bella in Romanos conuertit, & semper gloriosam militiam  
reportauit. Inde etiam Narbonensem prouinciam suo regno adiecit, & in Af  
rica res multas egregiè perfecit. Tandem non sine publico luctu in fata con  
cessit. Hic est enim qui Hispanos ita à Romano Imperio liberauit, ut postea  
nunquam amplius ipsis subiecti fuerint. Patri autem mortuo Ricardus filius  
substitutus est. Ioan. Mag. lib. 16. cap. 15. Ritius.